



The Holy See

PIUS PP. X EPISTOLA

**QUA PIUS PP. X OCCASIONE CONGRESSUS GENERALIS HORTATUR
CATHOLICOS AUSTRIAE AD CONCORDIAM CONTRA ECCLESIAE HOSTES***

DILECTO FILIO NOSTRO
ANTONIO IOSEPH TIT. S. MARIAE ANGELORUM IN THERMIS
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GRUSCHA
ARCHIEPISCOPO VINDOBONENSIVM - VINDOBONAM

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Habitus, biennio ante, a catholicis Austriae conventus, iter ad salutem religionis et patriae cum maxime accommodum aperuit, quod quidem catholicos ipsos gloriose instituisse pervidemus. Id Nobis, ad solatium vehemens, spectabiles alacresque viri enarravere, quibus officium est demandatum novi comparandi, in proximum Novembrem mensem, catholicorum ex universa Austria congressus. Miram hi namque describere voluntatum concordiam, cuius uno invictoque ductu, Sedis Apostolicae commendato scriptis, impetum repellere hostium, in negotiis ad religionem civilemque cultum proxime pertinentibus, Austriae catholicae licuit. Porro parem huic tantae laetitiae voluptatem illud Nobis conciliavit, deliberatum catholicis istis itidem esse unitatem firmitatemque animorum servare posthac immotam, si certo perpetuoque velint tuitionis et victoriae metam attingere. Causa enimvero frugiferi confirmandi propositi oh utinam desit! Contra pervulgatam illud est, profligan Ecclesiae hostes novisse, quiescere et ponere arma non item. Nec sane conquiescunt apud vos inimici, quum aut Ecclesiam progredientibus humanae sapientiae luminibus calumniati infensam, providentissimam auctoritatem eius interdicere institutione iuventutis publicisque scholis adnuntur; aut commentis promissisque multitudines irretiri male cautas, opificum praesertim, et ab Ecclesiae matris complexu seiungere conantur. Paratis igitur, immo omni nisu contententibus sacra civilemque rem in gravissimis vitae generibus adoriri, ea vobis obicienda sola est vis, quae, ut probe estis intuiti, consensu concordiaque gignitur. A Nobis quantum est, hortationem habetote ex intimo prode untem corde, ne quando victoriae gloriam utilitatemque cum dedecore deseratis. Si vobis, quod certo percepimus, et animorum et vitae praesentis sunt cordi emolumenta, multo maior quam illis, est adhibenda in decertando contentio,

quos unum idque saepe commenticium huius aevi commodum movet. Summis autem utilitatibus, quae proximo sunt assequendae congressui, minus equidem esse aptam industriam humanam intelligimus, nisi divina etiam praesto sint adiumenta. Iis propterea singulis, qui parando conventui dant operam, universisque catholicis, qui congressionis participes erunt, luminum viriumque caelestium copiam deprecamur, gratiaeque auspicem, eademque indicem studii, unde personas laboresque coetus prosequimur, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Octobris MCMVII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIUS PP. X

*ASS, vol. XLI (1908), pp.129-130.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana